REMONSTRANTO-LIBERTINUS

à Cl. D. GISBERTO VOETIO
Th. D. & Prof. in Acad. Ultrajectina

IN

THERSITE HEAUTONTIMORUMENO
αὐτοκατάκριτος deprehensus

In { Blasphemiis in Deum ac Religionem
Calumniis & mendaciis in Illustr. Ordd. Ampliss. Magistratus &c.

Indicante, ac provocante eum ad tribunal Societatis Sociniano-Remonstrantica.

MART. SCHOOCK Ultrajectino Art. & Philos. Magistro.







ULTRAIECTI,
Ex Officina ÆGIDII & PETRI ROMAN
ANNO M. DC XXXVII.

Celeberrimis Viris

Dn. IOHANNI WTENBOGARDT.
Dn. M. SIMONI EPISCOPIO.


Ut & reliquis

Societatis Sociniano-Remonstranticæ Directoribus, Professoribus, Concionatoribus, revelatis & occultis.

NEC NON

Eorum Fratribus, ad prædicandam puram doctrinam divagantibus per Poloniam & Holsatiam, &c. S. P.

Celeberrimi Viri,



RIGINTA, aut præter propter anni sunt, quòd vos cum antecessoribus vestris, masculè, & heroico animo Belgicas Ecclesias turbaveritis, cacatisque & famosis libellis omnes librarias, bibliothecas, & angulos compleveritis. Probo equidem studium vestrum. Ni enim miseras manus scribendo fatigassetis, piisque & doctis Lectoribus vomitum civissetis, ad laqueum multis Typographis & Bibliopolis res rediisset. Fateor, in ordine vestro extitere multi eximii viri, ignorantiæ, calumniandi, & mentiendi laude illustrissimi. Sed ita vivam, si unquam eruditius, ac delicatius corculum Societas in sinu suo aluerit; quàm est accuratus ille examinator, qui ut aliquando in occultâ vestrâ Academiâ in facultatem Theologicam adoptari possit, inexpiabile bellum Inauguralibus Voetii Thesibus

Thesibus indixit. Quis, qualisve surgens hic Doctor sit, ego qui Oedipus non sum, conjicere nequeo. Si aures, frons, lingua, status convenirent: putarem antiquissimâ Philosophorum familiâ oriundum esse. Ita ubique inter media eruditionis, & sapientiæ præconia, aureum illud modestiæ symbolum λάθε βιώσας h. e. *in vitâ quære latere*, crepat! Si Samiæ philosophię sectator essem, jurarem animam illius decennium & amplius in ignavo, & domestico catello habitasse. Latrat tam vehementer, & clarè, ut cœcus primâ etiam instantiâ, si audiret modò quem libellos ejus lectitare, judicaret caniculam quam post sepem alicubi latitare, quæ simul, ac qui præterit, faciem converterit, magno silentio ad antrum confugit.

Cùm stylum arriperet primitùs, & accuratissimi Examinis lineamenta duceret, metamorphosi quâ exuto homine in lupum se transformatum esse judicabat. Vaticinabatur quippe sub formulâ *fortè*, per Spiritum arrogantiæ, *se uno atque altero congressu tam placidum Voetium redditurum, quam ovem*. Existimabat, credo, se solum habere dentes, ac novitium Professorem, sponte suâ jugulum præbiturum gladio plumbeo, ut si non posset ab eo præcidi, saltem suffocaretur. Nō est tam ovis Voetius: nec etiam esse debuit. Respondit Examini (cum salvâ existimatione illud potuisset contemnere) & quidem ita, ut sciolo, dicaculo, & fastuoso homuncioni responsum oportuit. Existimabam è vestigio Pyrgopolynicen advolaturum, & ablutis fœcibus, cum novo Professore in oculis omnium congressurum esse. Miranda enim audiveram, ex magni ponderis Remonstrantibus, de ejus sagacitate, & dexteritate: & inter alia quidem, eum semestri pænè ante, quàm Voetius responsionem per moras Typographi, caveæ eruditorum offerre poterat, Crisin & Replicam (in cella credo apud vinaria vasa) consignatam habuisse. Vulturium esse credebam, aut videntem: qui subodorari posset, quę Voetius scripturus esset. Sed haud diu post deceptū me fuisse, deprehendi. A quo metuebam occupatissimo Voetio, is, visâ in speculo Responsionis, Thersiticâ suâ facie, ita repente obmutuit, ut per sesquiannum verbum, aut scribere, aut proloqui publicè non ausus fuerit. Ne verò otiosus prorsus sederet vir malè diligens, numeravit intereà studiosissimè Thersitis pagellas, singulasque in quaternas literas A. B. C. D. dispunxit, ut credo in numeratò inveniret, quâ parte eruditionis aut Asinum, aut Bubonem, aut Canem, aut Damam referret.

Præcla-

Præclara etenim ignavi otii ratio! Judicate, vos magni Theologi, an hoc impunè homini diligentissimo, & ad aquam ineptienti esse debeat? Persuadere quidem nobis studet, jam ante semestre uno & sexaginta capitibus Thersiten se traduxisse? sed ubi inveniet eos, qui hæc injurato credere velint. Novimus, & edocti sumus, quàm vana vestra promissa sint. Twissum, Walæū, Amesiū ac Vedelium exarmatum jam ante trienniū & ultra exspectavimus. Si λόγοις argumenta difflari possent, singulis mensibus in comico plaustro triumpharetis. Promittitur quid faciliùs, quàm præstatur. Perspexi genium examinatoris, quicquid tabellis illevit, gestit mox

——— *è furno redeuntes scire, lacuque*
Et pueros, & anus.

Sed amico, *in manum tradidit*, sublimem illam Iliada; *cujus vel occupationibus, vel cunctatione accidit, ut ne incepta quidam fuerit impressio, cum oporteret absolutam fuisse.* Næ ille amicus negligens, cunctator, & omnium odio dignus est, qui tam præclarum existimationis, & eruditionis Remonstranticæ depositum ultra dimidium annum penes se detinuit. Si in collegio vestro suffragii jus haberem, censerem in triconem hunc inquirendum esse. Non enim incuriâ, aut occupationibus Typographi hoc accidere potuit. Hardervicenum prælum jam diu ferias egit, & avidè ingenii vestri excrementa exspectavit. Nescio verò quomodo ardor vester in scribendo pedetentim elanguescit; & malè audire incipitis apud operas Typographicas, quæ quondam cum sub cruce per villas, & agros, typos, velut necessariam supellectilem circumferretis, liberalitate vestrâ unctiusculæ esse solent. Sed forte non deest amico, Dn. τοῦ Δεῖνα se excusandi ratio. Enimvero si unus est ex veteranis duellatoribus, scit politicè, catè & subdolè Societatis causam agendam esse. Non omnia quæ dici possent, dicenda sunt. Sunt majuscula, sunt minuscula sacra. Alcibiades, & impuri oris homines inter Epoptas allegendi non sunt. Calculum semel constitutum, reducere semper integrum non est. Quicquid crassus sibi nauta persuadet, dum Voetium de gradu dejicere, & in odii, invidiæ ac maledicentiæ abysso suffocare studuit, in anceps periculum adduxit Societatem. Calidum nimis accuratum erat examen, cùm typis illud author mandaret. Limandum, & dolandum fuisset, ac incrustandum ab iis, qui usu experti sunt, quâ cautelâ & tectorio, flosculi Sociniani, Apologiis, & Confutationibus

 insper-

inſpergendi ſint. Scio calumniari me dicet examinator : ſed te Reverende Dn. Joan. Wtenbogaerdt, pro prudentia, quam octuaginta annorum experientiâ tibi comparaſti, juxta mecum judicare, certò mihi perſuadeo. Et hæc ratio eſt, ſiquidem more ſectæ collega veſter non mentitur, cur tam diu premantur unum & ſexaginta ejus capita. Novitius adhuc eſt: myſteria non ſcit tegere. Quæ non arcana religionis veſtræ diſcemus, ſiquidem capita examinatoris, argumentis quæ ſtultè in anteceſſum nobis exhibuit, reſpondeant! Norunt illud quoque, qui inter vos,pro tempore cenſurâ funguntur. Nauticũ ingeniũ ſemel pæne fragilem Societatis navim ſcopulo alliſit: nõ tam maccos vos eſſe credo ut ſine Palinuro iteratò in Voetiũ tironem invehi patiamini. Miror vero, quæ intemperiæ hominem agitaverint,ut ederet ſcabioſum libellum titulo *Confutationis inſulſi & maledici libri*. Puto, eum ſomniare, verveces nos eſſe. Non terremur Lamiæ turribus. Occalluimus jam diu ad Thraſoniſmos veſtros. Ad capillatos pueros talia terriculamenta. *Confutationem Therſitis* ſacras chartas examinator inſcribit: & tamen in iis non examinat unũ argumentũ. Voetii ſolùm indolem delineare, & invidiã ei creare ſtudet. Si hęc confutatio eſt,vicerit vel cuculo judice. Exiſtimo,vos,qui eruditionis opinionem præ vobis fertis,ſic quoq; judicare, & pudere collegæ. Sed age,paucis libremus argumenta,quibus Voetiũ confodere molitur. Puncta omnia non perſequar. Illud enim eſſet,chartam ac atramentum profundere. Generalia ſolùm ſectabor, & ſi quæ erunt ex particularibus ejus ineptiis, & calumniis examine digna,paucis excutiam. Vos arbitramini, & ſi non æſtu affectuum abripiamini, candidè etiam, & ſecundum juſtitię regulam judicate.

Omnia ſi componantur, ad tria capita bullata oratio revocari poteſt. Unum enim illud agit Libertinus, ut maledicum, ſuperbum, & ineptum eſſe Voetium, probet. Quàm benè autem, videbimus per Dei gratiam. Primò quod ad *maledicentiam*, quam ille paſſim rabiem, furorem, malevolentiam, & quid non vocat: & propter quàm Voetium pag. 29. convitiatoribus accenſet, dequibus teſtatur Apoſtolus 1.Cor.6.v.10. eos extorres fore regno cœlorum: de eâ hæc habete. Non eſt ita Voetius in ſacra Scriptura hoſpes, nec tam ἄστοργος, ut ignoret ex Pauli præcepto Gal.6.v.1. *Fratrem, qui præoccupatus eſt in aliqua offenſâ, reconcinnandũ eſſe cum Spiritu lenitatis. Et ſervum Domini manſuetum eſſe oportere, cum lenitate erudientem eos, qui contrario*

animo

animo sunt affecti. 2. Timot.2.v.24. 25. Sed eâ etiam per Dei clementiam, præditus est prudentiâ, ut sciat quomodo homines, & adversarii distinguendi sint. Sunt quidam leniter tractandi, alii asperè. Nonnullis malagmata, & fomenta, aliis scalpelli, & cauteria adhibenda sunt. Hypocritis frons detrahenda: & quorum conscientia callo est obducta, candentibus forcipibus, & ferreis manibus arripiendi sunt, & tam diu vellicandi, donec sentiant. Medici sunt, verbi divini ministri. *Imperitus autem est medicus* (ut dicit Cyprianus de Lapsis) *qui tumentes vulnerum sinus manu parcenti contrectat*. Præcessit Servator noster benedictus, secuti sunt eum Apostoli. Cur non & Voetius, cur non pii, & Zelotæ omnes perfectissima illa exemplaria æmulentur? *Via duces cæcos* vocat *scribas & Pharisæos* salvator noster Math. 23.v.25. *fatuos & cæcos* ib.v.17.19. *hypocritas* ib. v. 25. *sepulcris dealbatis* assimilat ib. v. 27. Et passim per totum caput threnodes illud *væ*, *væ* ingeminat. Sic & Petrus Act.8.v.23. *Simonem magum in felle amarissimo, & connexu injustitiâ dicit esse positum. Elimam filium diaboli, & hostem omnis justitiæ* salutat Paulus Act.13.v.10. Idem *canes* vocat eos Phil.3.v. 2. qui Euangelium cum circumcisione miscebant. Quàm acribus quoque, & pungentibus verborum spiculis Petrus in posteriori sua Epistola, & Iudas confodiunt hypocritas, qui gratiæ mantelo vitia, & fœditates suas velabant. Quis tamen propterea eos convitiatores vocavit? Alia sunt convitia, alia verba mordacia, aculeata, ac dentata.

Convitium definit esse convitium, si dicitur oportunè merenti, ad excitandum eum ex veterno. Sic mitissimus mortalium Nazianzenus, acerbissimas invectivas in Juliauum Apostatam scripsit. Cyprianus fervens alias Zelo charitatis, quàm acriter quoque in Demetrianum non invehitur. In Iovianum quamvis innocentem debacchatur Hieronymus, quod eum frontem ferre, & graphicum hypocritam esse putaret. Ita Hilarius Arrianos, ac Prudentius Symmachum excepere. Imo ad ipsum Cæsarem Constantium, majores Sociniano-Remonstrantium eodem fervore excepit, pientissimus ac constantissimus virorum Athanasius. Vir Dei Lutherus fulgura & tonitrua in omnibus scriptis vibrat, & tamen qui tanti à vobis æstimari solet Erasmus, eum laudat. *Nostri*, inquit in Epistolis, *mores meruerunt tam inclementem medicum, qui sectionibus, & ustiuris curaret*. Imo excusatum eum it Zuinglius, & *fratrem* vocat in lib. quo respondet ejus libro de Sacram. cum Zelo præpostero

postero, & non secundum scientiam, sincerè tamen in Tigurinos, & sacramentarios, ut dicebat, quàm acerrimè tonuisset. Satis diu lenitate erga vos, & sectam vestrā usi sumus. Animū ea illi addidit progrediendi in mystica Socini Theologia. Si initio, dum pudoris aliquæ adhuc guttulæ penes vos erant, acria remedia ab omnibus fuissent adhibita, puduisset vos fortè, & in erroris ac hæresium pestiferarum cloacam tot simplices animas non pertraxissetis. At dum pleraque tolerantur, & leviter tantum admonemini: dum moderatores (reverà monitores pessimi) charitatem, tolerantiam, clementiam clamant, alacri animo progressi estis, & quod intra pectus occultè circumferebatis venenum, intrepide inter simplices, & in scriptis evomuistis: Viam ad moderationem, & lenitatem vobis ipsis obsepivistis. A lixivio, sale, & sulphure quid tantum boni conclamatis ulceribus sperari potest. Miror verò, quòd aut examinator, aut quis ex vobis, Henrici Nicolai Speculum Iustitiæ per Spiritum charitatis scriptum, non excusserit, & orationem de Christiana charitate in Voetium scripserit. Hæ enim vestræ artes sunt. Si leniter tractamini, ridetis, & ocymum occinitis: si vero asperiusculè, intolerandum quàm hypocriticè de modestia, & charitate violata garritis, ut si non per acrimoniam verborum, simulatam saltem charitatem, & modestiam elabamini. Quamvis verò, ut ex sexcentis libellis ostendi posset, ipso Theone, aut Archilocho acerbiores sitis, modestissimi tamen, & humillimi videri cupitis, ut liqueat omnibus, tam hypocriticos vos esse scriptores, quàm hypocritica est tota religio, & devotio. Quod ad Voetium, quàm in eo execramini acerbitatem, & malevolentiam, eam omnes Zelotæ, & pii, quibus charior est Ecclesia, & Christus, quàm favor tepidorum Christianorum & magnatum, ut virtutem & prudentiam exosculantur. Vestrorum, pseudo-politicorum, & quorumcumque frigidorum scæva judicia pili non facimus.

Tantum de Voetii acerbitate, & malevolentiâ. Quod ad fastum, & superbiam, eam præter fastuosissimum Examinatorem, nunquam quis ei exprobratum ivit. Qui norunt eum domi, sciunt quam ab omni specie externæ, ac intrinsecæ superbiæ alienus esse studeat. Sed quale tandem elatum hoc supercilium est, quod secundum indolem suam *stultitiam* vocat Examinator in Confur.pag.24. *Voetius, scripsit in Thersite p.256. ad vocationem suam pertinere τὸ πᾶν, aut universum contemplari.*

Lepide

Lepidè. Ablegate examinatorem ad Scholas triviales, ut discat, quid universum, aut τὸ πᾶν sit. Voetius loquitur de universâ naturæ machinâ, quæ usitatissimè in libris & scholis philosophorum nomine τοῦ παντός, aut universi significatur, ut tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus liquet. Legite ipsi, & ferulis barbarum examinatorem objurgate. Sed demus, Voetius per τὸ πᾶν, intellexit artium circulum, ac periodum. Quid tum? An is qui vocationis suæ omnes numeros implere studet, ad stultitiam usque superbus est? Mirarer si quis alius tam crassè philosopharetur. Chimæras, & Tragelaphos tales ab Remonstrante pingi non novum est. Quia Societatis Theologia intra quinque articulos positivos, & infinitos negativos consistit, haud mirum est, rideri Voetium, qui Theologum, universi contemplatorem esse desiderat. Talem vult esse Architectum, & mechanicum hominem Vitruvius in opere de Architectonica: & vitio vertetur Theologo, qui promptuarium omnis eruditionis, sacram Scripturam nempe, evolvere, ac de omnis generis casibus respondere debet, si dicat ad vocationem suam τὸ πᾶν pertinere? Legite, & evolvite omnes qui de studio Theologico scripsere, & seriò ab iis, omnibus Theologiæ candidatis hoc inculcari deprehendetis. Unus fortè Socinianismus, putidæ rationis excrementum, cum simia sua Remonstrantismo excipi posset. Corrupta ratio promptuarium est Socinianicæ Theologiæ: paucis illa subsidiis, paucis adminiculis indiget ad omnia neganda, ridenda, exsibilanda, ac immota Christianæ veritatis dogmata labefactanda. Cyclops quis, in Deum etiam blasphemus esse potest! Et quanquam linguarum studiis superbit, non tamen valde indiget. Quamdiu Forsneri & Scindleri Lexica in rerum natura erunt, non deerit graculis materia cornicandi, & insipidè ex fontibus, contra certissimas interpretationes excipiendi. Remonstrantismus unum tantùm, certum fundamentalem articulum habet, communem omnibus hominibus, Turcis, etiam ac Gentilibus. Hebr. 11. v. 6. *Qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum.* Ad eum inculcandum haut magno apparatu, aut multis libris opus est. Grande illud Antonii Eremitæ volumen instar omnium esse potest. Quid ergo mirum, si ex principiis pseudo-theologiæ suæ examinator, reprehendat Voetium, quod ad Theologiam, choragium omnium artium, & omnium scientiarum desideret. Neque vero quis putet, ita insanire Voetium, quemadmodum libenter indoctis persuaderet Exa-

minator, ut sibi uni omnium rerum perfectam scientiam arroget. Novit, & digessit Socraticum illud, *Quantum est quod nescimus!* Non se Iurisconsultum, non Medicum venditat. Eousque solummodo in iis facultatibus, aliisq; arhitectonicis disciplinis progredi studet, quantū sufficit ad solidæ, & interioris Theologiæ penetralia reseranda. Si vero, ut est helluo librorum, paulo ulteriuś in qua disciplina procedat, quis ei invideat? quis ringatur? Ostentatis ut vestrum vulgò, virum nomine suo, & vestrâ eruditione augustiorem Hugonem Grotium. Et tamen ille intra terminos Iurisprudentiæ se non continet: Theologi, Philosophi, Astronomi, Historici, Poëtæ, Literatoris gloriam affectat. Fallimini longè, si Deum in unum omnia dona sua effudisse credatis. Vivunt inter Theologos, vivunt inter Literatores, & aliorum ordinum viros doctos, qui magno & excelso animo, nec non Herculeâ diligentiâ, auspice Deo, & duce ingenio ad summa, ac excelsa contendunt. Quis verò adeo distortus, & malevolus est, ut existimet ex iis neminem scopum attingere, sed omnes ita desperationis occulto igne feriri, ut circa media, aut infima subsistere cogantur? Miror verò quomodo Thersites hostis universalis scientiæ, titulum examinatoris sibi arrogare ausit. Vix viginti in vitâ authores legit, & Voetii Theses, quæ defloratæ sunt ex Philosophiâ, Literatura, & omnibus partibus purioris Theologiæ, oppugnare audet. Iudicate vos. an non egregiè collega vester se retibus implicet, ac apodictico argumento, Heautontimorumenum se esse, omnibus manifestum faciat. Sed video cur Voetius παντόλαβος ille, Cærite cerâ dignus sit. Non more aliorum Academicorum Professorum *itque reditque viâ*, & serram identidem per eandem lineam reciprocat? Quid tum verò? Maximos Theologos authores habet, qui extra circulum vulgarium locorum communium, rariores Quæstiones, problemata, & controversias quá practicas, quâ theoreticas tractarunt. Inter quos facilè primos ordines ducunt *Petrus Martyr, Bened. Aretius, Hiero. Zanchius, Vrsinus in Thesibus, Ioann. Rainoldus, Lamb. Danæus*, &c. Quod piaculum, quodve scelus si horum vestigiis Voetius insistat? In aliis Academiis in Theologiæ, & Religionis fundamentis, vulgatisque controversiis solidè eruditur juventus, & per disputationem, quâ publicas, quâ ptivatas gnaviter exercetur. Fit & à Voetio publicè, qui ordine singulis sesquiannis absolvit disputando totam confessionem Belgicam, & tertiam partem Catechesios. Ac interea tamen laborem maximorum virorum

virorum, & scripta, quantum potest diligenter, ac studiosè auditoribus, & discipulis proponit, atq; inculcat ut ex iis colorem primitùs summæ illius sapientiæ ducat, cujus nectare repleta, & penitus imbuta esse debet. Symbolam dein suam confert, & Thesibus rariora, difficilioraque capita aut ex Dogmatica, aut ex Practica Theologia pertractat: Ut nihil studiosis deesse queat, ad assequendam, aut eminus saltem conspiciendam perfectam purioris, & Orthodoxæ Theologiæ cognitionem. Quis hic fastus, quis typhus, quæ vanitas est? Exulceratorum, & ignorantium animorum judicia non moramur? Sed alia adhuc ratio, cur inter elatos, ac superbos Voetius censeri debeat? *Incurrit aliquando in incomparabilem virum Hugonem Grootium*, pag. conf. 31.32. 33. Quid tū verò? Magnus est Grootius, stupendæ eruditionis, celebris, & honoratus, & tamen homo est: ac non satis defecatus à fermento Socino-Remonstrantismi. In Nicena Synodo simplex, & devotus quis Christianus confudit, ac ad incitas adegit magnum, & elatum philosophum. Quod flagitium si Voetius secundum vocationem suam inquirat in Grootii Theologiam? cum ipse velut *ἀλλοτριοεπίσκοπος* inquirat in alienam: & subdolè libello de veritate Christianæ Religionis, in omnes linguas pene translato, apud cujuscumque religionis homines fundamenta Socino-Remonstrantismi moliatur? Grootius sententia Ill. Ordd. General. perduellis, nec major, nec doctior Iuliano Apostata est, in eum tamē exorbitantem à fide Christiana, Philippicas, & tela Basilius ac Nazianzenus vibrarunt. Non odio, non malevolentiâ, fastu, aut opinione eruditionis in Grootium fertur Voetius. Conscientiæ, & vocationi suæ secundum dimensum à Deo confessum, semper, ac omni occasione satisfacere laborat: & ut possit Deū obsecrat. Si Grootius, si alius quis insidias veritati, insidias Ecclesię, insidias simplicibus animabus struat, clamare, & omnes monere debet. Et *væ etiam ei*, si non faciat. Miror verò maximè, quod ridiculus examinator asciam suismet cruribus illidat, citando integrum Grootii locum ex præf. Christi Patientis ad Illustr. Ianninum: in quem Voetius tantum digitum intenderat. Qui censet cum Grootio, *stabilitâ necessariâ ad salutem veritate, in fœdus rediri posse cum Pontificiis*, quid ille aliud agit quàm ut lucem cum tenebris, & Christum cum Belial societ. Lux fugat tenebras, veritas mendacium: non potest stabilita esse veritas ad salutem, ac simul stare Papismus. Hæc duo debent conjungi *Perfectus amor Christi, & perfectū odium*

 Papæ:

Papæ: ut rectè vir Dei Lutherus vidit, cum in Smalcaldico conventu duo illa Germaniæ proceribus, qui eo ad fœdus feriendum convenerant, precaretur. Si vera sit Grotij sententia, falsus erit Spiritus sanctus, cum omnes fideles, & electos Dei filios monet & hortatur Apoc. 18. v. 4. *ut exeant è Babylone*. Quid enim opus est exire, si stabilitâ veritate in cujusque animo, fœdus & amicitia cum magna illa meretrice observari possint? Sed video cur pro Grootio Examinator omnem eruditionem dilapidet. Oratorem Coronæ Sueciæ agit Cl. vir, palpo eum percutere studet, ut postea per occasionem munuscula & xenia accipiat. Hoc verò quàm ridiculum, quod Voetium velut plagiarium traducit pag. 33. cum hoc Libertino-Paganico Epiphonemate, *si superis placet*, quod locum unum aut alterum citaverit p.243. ex Grotii libro de Iure Pacis ac Belli. Ideo scilicet *exulcerata Voetij mens*, quia ad confirmationem suæ theseos quid citat ex scriptis illius, quem alibi ex verbo Dei arguit, & reprehendit. Quid ineptius, aut magis maledicum cogitari potest!

Pervenimus ad ineptias Voetij. Ineptias autem voco, ea omnia quæ examinator vester lepido Sarcasmo, quia non poterat solida responsione, procurat. *Primò occupationes* à Voetio in Thersite prætextas insectatur, & nescio quas non nugas, & apinas congerit: ut aniculis & pueris persuadeat horribilem se leonem esse, & Voetium ægrè compelli potuisse ad scriptionem Thersitis. Qui octonis singulis hebdomadis lectionibus, & adhoc ordinariâ disputatione publicâ, & privatis collegiis, & concionibus distinetur an illi multum temporis superesse potest ad confabulandum cum inepto, insulso & improbo congerrone? Vt ut occupatissimus tamen extitit, intra trimestre absolvit Thersitem, dolorem illum oculorum vestrorum. Non prodiit tamen ante nonum mensem per Typographi occupationes, qui uno tantum prœlo & famulo instructus simul hebdomadales Theses, edicta publica, & alios nonnullos libellos, cum Thersite libro satis spisso intra angustū illud spatiū absolvere debuit. Sed ubi fides & pudor! Voetio strenuissimo Antagonistę vestro vitio vertitis, quod octo mēsibus occupatus fuerit in Thersite, & cū properare se diceret, nonnullibi tamen prolixè respōderit. Cū vos, vos inquā, quorū hypocrisis, Pseudo-theologia & factio in ejus libro cautherizantur, & condignè traducuntur intra sesquiannū non nisi exiguū, eumq; maledicum, insipidum, & cassa nuce inaniorem

libellum

libellum parere potueritis. Quem enim superiore æstate quis ex vestris ignorantiæ fratribus protrusit, narratiunculam illam puta de lepida & ridicula Nærani disputatione, ineptiâ ineptior & barbarismis, ac solœcismis haud secus ac Deus Cõpostellanus suis conchis obsitus est, ut vobis etiam qui eruditi haberi vultis, adjudicare non ausim. Barbarus & omniũ rerum ignavus Monachus pater atri illius fœtus videtur, quem ideo solùm nullâ responsione dignati sumus, quod certò crederemus, vos ne quidem occultâ, aut revelatâ vestrâ Academiâ eum dignari velle. *Secundò ineptus*, & quid non amplius Voetius est, quod post tot egregios tractatus de Electione & Perseverantia earumq; usu tautologus esse noluerit, & odiosè crambem quinquarticalanam recoquere. p. 5. 6. Validum argumentum prosternit enim totum Remonstrantismum. Si quæras ex Fratribus, cur non Cameroni, Twisso, Gomaro, Walæo, Vedelio, Amesio, Riveto, Polyandro, aliisque ex nostris qui aciem eorum difflarunt, respondeant, audies confirmatam abundè (in jactabundo puta cerebro) esse veritatem, crambem recoqui si iterum respondeatur. Alterutrum ergo verum. Aut bene respondit Voetius digitum intendendo in authores: aut rectè redarguitur ab insulso Examinatore, & simul totus Remonstrantismus cadit. Nisi quis fortè ideo pertinaciores in statu consistere putet Remonstrantes, quod scripta Antisynodalia, in quibus quinta essentia eruditionis & delicatissima medulla comparet, ideo sint inexpugnabiles Gorgones, quod ante 19. annos fuerint exarata, & tota dein exarmata ante sexennium quidem ab Amesio: ex parte autem diu ante à Cl. Walæo, & Gomaro, & in hunc usq; diem à nemine adhuc in integrum fuerint restituta. Oblectate vos hoc soliditatis somnio, nos minime invidemus. Excusare potiùs te Dn. Episcopi volumus: credimus certè hâctenus te non potuisse per occupationes occurrere, & obviam ire adversariis tuis. Quas enim non molestias, & quę nõ tędia quotidie devoras, dũ crassos, vetulos, stupidos, & ignorãtes fratres voce, & scriptis, à nullo hypodidascalo adjutus, Socinianam rhetoricam doces. *Tertiò* ob ineptam provocationem in tribum ineptorum, Examinator Voetium rejicit. Provocavit quosvis ex vobis: nominatim verò postulavit, ut indicaretis sibi gentem, domum, patriam, & conditionem Examinatoris. Quæ æquissima erat efflagitatio, iniquissimo silentio huc usque à vobis est rejecta. Quascumque ad disputandum, & conferendum obtulit conditiones,

 repulistis,

repuliſtis, & riſiſtis. Sardonicè tamen. Rabbini magni, & ſublimes DD. videri cupitis, & interea vix proletarii eſtis Theologaſtri. Inter veſtros cum garritis, omnes contemnitis, & ſolam eruditionem ſub tunicâ veſtrâ habitare ſomniatis. Ubi tamen ſcribendum, diſputandum, aut colloquendum eſt, latebras quæritis, & prætextu negatę libertatis ex arenâ curriculò in antrum confugitis. Unum te excipio, Samuel Nærane, cujus bruta phantaſia tam firma eſt, ut quamvis ſemel ob ineptias, futilitatem & ignorantiam ab omni ordine ſis exploſus, firmiſſimè tamen credis te triumphaſſe, & auream cicadam promeritum eſſe. Si liceret, vobis tam perfectis, & excelſis DD. conſulere. Author eſſem ut Verroni, Gordoni & Arnaldi celebrium inter Gallos Jeſuitarum conſilium ſequeremini, cùm enim animadverterent ſe ſalvâ exiſtimatione Diſputationem, ac Collationem cum Hugenottis evitare non poſſe, & tamen ſemper aperto ac vulnerato latere ab iis redire: hæc Archimedea ſophiſmata excogitarunt: I. *Ut collaturi nunquam partes Reſpondentis obeant.* II. *Ut non reſpondeant ad ullas quæſtiones, qualeſcumque ſint.* III. *Ut Hugenottos tantum oppugnent; & ad Reſpondendum conſtringant.* Argutè etenim, ac politicè. Imitamini viri ſubtiles, & non tantùm certe triumphabitis de Voetio, ſi cum eo congrediamini, ſed profundè quoque in animi ſinu Socinianica, & id genus alia opinionum monſtra occultare poteritis. Credite mihi, probatum eſt, quod ſuggero conſilium & ſiquod, utiliſſimum veſtræ exiſtimationi, ac religioni exiſtit. Miror verò Societatem hiſce Halcedoniis ad eam pauperiem eſſe redactam, ut non ſufficiat ſumptibus Notarialium actuum, (ut indicatur p. 15. Conf.) quos poſtulavit Voetius: quandoquidem ſub maxima perſecutione abundè multas ficas, & ſclopeta ad occidendum Illuſtr. Principem ex gazophylacio comparare potuit. Et ita Voetium à malevolentiâ, faſtu, & ineptia vindicavimus. Tantum verò Libertino Remonſtranticus Examinator ſibi in cornicatione, & multiloquentia plaudit ut etiam p. 46. advocet ac inclamet in miſellum Voetium omnes, qui in diœceſi Ultrajectina ſunt Paſtores. Quaſi verò illi ejuſdem commatis, & Sceptico-Libertino-Athei ſint? Hæreat miſer tam diu in catadupis horrendorum mendaciorum ac calumniarum, donec vel unum in tota diœceſi laudaverit, qui tam ſiniſtrè, ut ipſe, de Voetio opinetur. Ingemiſcere enim deberent, quod Voetius pro cauſa religionis, & Eccleſiæ, nec non pro eorum ſecuritate, & honore,

nore,in annis assiduò stet contra vos, juratos veritatis,pietatis,Religionis, Ecclesiæ,& Ultrajectinorum ministrorum hostes, & solus propè omnem impetum calumniarum, mendaciorum, ac sarcasmorum vestrorum sustineat. Si quis verò inter eos tam ingratus, & impudens forte inveniatur,ut quia per Voetiū contra machinationes vestras clandestinas defenditur, in eum iram, & ignorantiam convertat, næ ille bestiâ quavis inhumanior,& hominis nomine indignissimus est,quod & æternum,ut scio, non probabitis. Velletis quidem, Pastores Ultrajectinos in Voetium insurgere, & vobiscum conspirare ad eum opprimendum, & ejiciendum : sed non fiet per Dei gratiam. Aliter ac vos de eo existimant : ut & nuper illustri documento ostendere, cum totâ consentiente classe, humaniter, gratanter, ac benevolè dextras fraternitatis ei porrigerent, ac in ordinarium Trajectinæ Ecclesiæ Pastorem promoverent. Fallimini longè, si omnibus Pastoribus ignotas esse putetis heterodoxias,& pudendas vestras hęreses. Norunt, norunt illi eas. Et vos quoq; fateri cogimini, in famosis, virulentis, insipidis,& puerilibus libellis, canticis, & satyris, quibus nuper Dn. Ludovicum de Renesse, virum insigni eruditione,eloquentiâ,& vitæ innocentiâ præditum traduxistis, cum ad Ecclesiæ ædificationem doctè, nervosè, & ad pietatis praxin, contra Pelagiano-Socinianos errores vestros de Immobili vitæ termino disputasset. Mirari verò nequeo Dn. Episcopi, quòd non compescueris catellos, qui improbo & stulto suo latratu eruditionem tuam magnam partem infamem reddidere. Si haberem gladium, qualem te habere jactas post alterum Davidem (Georgii scilicet), in domesticos potius pueros, eum stringerem, quàm ut paterer eos sordidis & putribus pomis contra serios, ac doctos adversarios pro me pugnare. Sed ad lineas. Ubi volitet examinator, ego ignoro, nec ipse sciri cupit. Puduit enim eum nominis, puduit & ejus typographum. Stigmatiam esse oportet, & inter vos infamem, cur enim aliàs diceret, Pag. 16. *Quòd impetrare à se non potuerit, ut confutationi nomen præscriberet, quia non videt sui nominis celebritatem, ad ullam Ecclesiæ ædificationem pertinere.* Si Iacobus de Batelier est, ut ipse haud obscurè innuit, p. 14. ac 15. mirum non videtur. Metuit adhuc Anglicanos forcipes, & virgas. Sed dicit se *Trutinam non vertisse*. p. 14. *Cur ergo per mensem unum cum alterum extra Belgium*, ut ipse fatetur, divagatus est. Aut hoc fuit, cur fugeret, aut quod gravius crimen. Inno-

cens

cens non fugit, sed adit judicem, ac se expurgat. *Sed Leidæ habitavit tam diu, & nunquam postulatus est à prætore.* p.15. Quasi verò lenitas magistratus Belgici in exequendis edictis suis, sacrum caput noxæ eximere possit. Sed aliud, gravius credo adhuc, sub pectore flagitium coquit, Deus novit, & forte etiam vos. Ego non admodum curo. Sufficit hominem deprehendisse in propatulo mendacem, blasphemum, & calumniatorem. Nullus vero dubito, quin hic mihi astipulemini, & blateronem corripueritis, quòd illoto ore, & fervido stylo importunè, & alieno tempore in novitii Professoris disputationem grassatus fuerit, cum ne verbulo quidem esset læsus: nec Societas insolenter traducta; nisi quòd Voetius ingenuè doctrinam Ecclesiarū Reformatarum cōtra considerationes Remonstrantiū & furiosas furiosorum exprobationes defensurum se diceret. Quod in omnibus Academiis sic fieri, nec aliter sacra illa constare, norūt qui unquā illas humanitatis officinas viderunt. Nec persuadere mihi possum, vestro consilio stultam & ridiculam hanc Confutationem prælo subjectam esse. Nisi fortè ad unum omnes insaniatis, & sapientiam, prudentiam, atque eruditionem universam decoxeritis. Miror verò, quòd funginum caput, confutationi suæ non addiderit epithetum accuratæ, æquè enim in eam ac examen quadrat. Sed video? Augustum illum titulum reservavit uni & sexaginta capitibus: in quibus quamvis omnia se examinare jactet, præterit tamen calumnias, mendacia & blasphemias plerasque ob quas à Voetio postulatus est, ut, cum Deo, cæcis etiam ostendam. Videte verò stellionis versutiam? In Confutatione, quâ se purgare, si non deturpare, studet: hoc tantum agit, ut post latratus in Voetium, Examen suum vindicet ab ejus criminationibus. At quàm subdole? Voetius exprobravit ei *mendacia, & calumnias in Ampliss. Magistratus, Religionem, & Ecclesiam, blasphemias in Deum, heterodoxias, contradictiones & fastum.* Ille verò quasi omnes eruditi æquè talpæ, ac matulæ essent, frigidè, & ita ineptè, ut subsellia etiam Synagogæ vestræ fleant, respondet solùm ad objectas *ineptias, contradictiones, nugationes, & fastum* à p. 26. ad 29. Ultro concedens, & admittens, se manifestū *calumniarum, mendaciorum, ac blasphemiarum in Deum & homines esse.* Ne verò me vobis similem esse, & clamare tantum putetis. En syllabum mendaciorum, calumniarum, blasphemiarum, & ineptiarum, à Voetio in Thersite objectorum, ad quæ ille neque in Confutatione respondet, neque in

ūno

uno & ſexaginta capitibus ſe reſponſurum promittit.

Calumniæ & mendacia in Illuſtriſsimos DD. Ordd. & reliquos Belgicæ Magiſtratus, venenato ore & calamo à Therſite ante hac ejecta, & ſilentio præterita in Confutatione, & elencho unius ac ſexaginta capitum.

Quid futurum, niſi quod videmus, cum ſuſpicione tantùm gravarentur (Magiſtratus nempe) *ut publici odij, & conviciorum fierent quotidiana victimæ, cum manifeſto ſeditionum periculo donec loco moti fuerunt; & quidem ut intelligas ob religionem fuiſſe motos in tanto numero, tot urbibus, tot collegiis, omnes ad unum loco moti ſunt, niſi qui erant, qui mutatâ profeſſione parati eſſent vel cum animæ detrimento ordinis emolumenta conſervare.* Pag: 26. Exam. Cur hic altùm Seriphia rana, & blaſphemus alienæ conſcientiæ judex ſilet? Si vir bonus haberi cupit, vel unum ex Illuſt. & Ampliſſ. viris laudet, qui contra conſcientiam, cum animæ detrimento, religionem mutaverit.

Verbis tuis inſane Voeti non pacabitur Magiſtratuum conſcientia, quæ nimis apertè eis dictat, vos docuiſſe perſecutionem in Remonſtrantes eſſe licitam, atque juſtam. p. 24. Exam. Iactat quidem ſe cap. XI. inſani voluminis ſect. 29. & 33. *ſoluturum eſſe Voetij cavillationes de Magiſtratuum abſolutione ab omni culpa.* Sed quid hoc ad rem? Nominare & laudare eos deberet, quorum conſcientia pulſatur, quòd edictis quoſdam publicæ quietis hoſtes provinciis ſuis ejecerint. Si non faciat, videat ne infame K. in fronte aliquando circumferat.

Hic damnas venerandos tibi Magiſtratus, cum multi inter ipſos exiſtant, qui verum controverſiæ ſtatum inter nos, ac vos non ſatis intellexerint. p. 47. Exam. Promittit ſe hoc defenſurum cap. 39. Sed niſi nominatim eos adducat, & quidem alios, quàm quos mendaciſſimus author Nullitatum Synodi traduxit, Cretenſem remp. ei mandabimus.

Equidem ſi eſſem ego Magiſtratus Ultrajectinæ reip. mox avidè conſilium tuum arriperem, & tibi interdicerem ne poſthac cum authoritatis meæ diſpendio tuam diſputandi laudem ambires. p. 48. Exam. Quid ſilet hîc furcifer. Oſtendat, & doceat Ampl. Magiſtratus Ultrajectini exiſtimationem per Voetii diſputationes læſam eſſe. Ipſe etenim Magiſtratus aliter cenſet. Quandoquidem ſtipendiū ejus bis, & quidem ſponte ſua, non compellatus, liberaliter addauxit: ſumptibus juvit in editione De-

speratæ Causæ Papatus, nec non promovit inter Ecclesiæ suæ Pastores; Quid quod hac hebdomadâ tale honorarium constituit Respondentibus sub eo disputantibus, ut non putem in ulla Academia amplius esse concessum. Tanti scil. facit scripta & Disputationes ejus Theologicas, quas nugis accẽset Thersites! Vigies quærit Senatus noster, qui cõtra vestra molimina assiduò in statione stent. Hinc & ante paucas hebdomadas post tres ex animosissimis vestris adversariis frustra sollicitatis ex Franckerana Academia, pientissimum, doctissimumque virum Dñ. *Meynardum Schotanum* accivit. Nec ulli quoque alii ad ministerium aut Professionem Theologicam ab eo nominantur, quàm qui doctrinâ & vitâ probant se longissimè abesse à Sceptico-Libertino-Socinianis. Frustra quid boni amplius speratis à vestro quondam peculio Ultrajecto. Scio latrare incipient omnes vestri catelli, sed eos non pluris facio quàm ancillam, quæ latrinam lavat.

Calumniæ & Mendacia in Ecclesiam Reformatam non diluta adhuc, nec æternum diluenda.

Quis intelliget Voetii religionem propriè Catholicam esse, quæ profiteri debet expositionem sacræ Scripturæ, non modo secundum Catechismi, & confessionis alicuiustenorem, sed insuper ad pressiorem quandam declarationem factam in Synodo Dordracena, p. 8. & 9. Exam. Ni illud ostenderit cap. suo decimo ex aliquo nostrorum Theologorum scripto, ipsam calumniam calumniando ab eo esse victam clamabimus.

Docetis omnes & singulos etiam reprobos credere debere se esse electos, p. 16. Exam. Si quem ex nostris adducere possit, qui hoc scripserit, totam causam tradam.

Cùm sint Contra-Remostrantes Domini publicorum templorum, cumq; illis ferè solis omnium Ecclesiasticorum, & Politicorum munerum beneficia sint destinata, videas tamen quibus locis illi maximè triumphant minimam esse quietem, crucem esse quòd Remonstrantes videre cogantur, mortem quod non liceat extinguere, p. 25. Exam. Probet vel in uno pago hoc verum esse. Nisi fortè eos tumultus esse censet, quòd strenuè oppugnentur sui Remonstrantes, qui instar porcorum, nullis aliis armis, quàm solo screatu, & grunnitu famosorum canticorum, & libellorum, jam defendere se possunt.

Fateor discrimen quod est intra Supra Lapsarios, & Infra-Lapsarios tanti

tanti non esse debere, ut propterea unitatem suæ sectæ scindant, etsi alteri alteros gravant, non minùs execrandis consequentiis, quàm adversarios ipsos. pag. 26. Exam. Adducat testimonia eorum, qui se invicem tam intolerandis consequentiis gravant.

Ob duram vestram religionem, nullo negotio concedunt omnes passim per hasce provincias in castra pontificiorum p. 33. & 34. Exam. Ni ad minimum decem nominaverit, ex iis qui ex parte religionem intelligunt, qui hoc prætextu ad Synagogam Antichristi transiere, calumniatorum & mendacium dictator erit. Sed forte Bertium suum, & similes apostatas, immediatè ex Remonstrantibus factos Papistas respicit. Vindicet sibi hanc gloriam, si quæ est, Sociniano-Remonstranto-Libertini Scepticismus, non Ecclesia Reformata.

Quid ergo hoc prætextu Magistratum à Synedrio, id est à potestate Ecclesiastica excludis. p. 47. Exam. Ni exemplis probaverit hoc verum esse, næ se dignum ostendit, qui arcæ robusteæ includatur.

Quia in N. T. scriptum est: Ita & vos cùm feceritis omnia quæ injuncta sunt vobis dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. *Inde colligitis nos ad omne malum propensos esse, inutilesque ad bonum*, pag. 40. Exam. Unum Theologum, Theologi nomine dignum, mihi laudet, qui in libris suis, ita crassè Scripturam tractaverit.

Mendacia & calumniæ sine modo, sine ratione effusa in Ecclesias particulares, Synodos, Doctores & Pastores, quibus neque in Confutatione satisfecit Thersites neque in LXI. capitibus satisfacturum se promittit.

Scio vestrum nonnullos negare quod Deus homines ad mortem prædestinaverit, utuntur aliâ phrasi paulo mitiore, ut rem planam obscuram faciant. p. 36. Exam. Indicet nostros illos Theologos, qui doctrinam clarissimè in Scripturâ propositam, per ambages proponant: alioquin omnes pro graphico mendaci, & calumniatore eum habebimus. Scio, Iterum ex Tigurinis Theologis non neminem, & Melanthonem objiciet. At de iis toties tam liquidò, tam solidè responderunt nostri, & post omnes Godefridus Sopingius de Melanthone, ut nec Grotius, nec ullus ex ejus gnatonibus verbũ illi reposuerint. De domesticis Theologis, & quidem Voetii fratribus, Thersites loquitur. Diogenis ergò lucernam capiat, &

videat an ipso meridie vel unum invenire posſit, qui eum à mẽdacio ac calumniâ vindicet. Et iterum: *Si reliquis ejuſdem profeſſionis Paſtoribus idem videretur, credo equidem proponerent & ea clarius ſuis auditoribus: ſed contra eſt, tum enim judicant ſe quàm maximè pietatem promovere, cum ea dogmata prudenter tegunt. Hoc eò fit, quia quamvis illi ſententiæ non faveant: tamen non ita perſpiciunt quâ ratione pietatem promovere poſſit. Unde ſi quis à pietate alienus eſſe videtur, apud hunc vel biſcere de articulis iſtis religioni habent*, &c. pag. 15. Exam. Dilutam & retuſam hanc calumniam videte in Therſite Voetii p. 71.

Cùm Synodus Nationalis ex meris Contra-Remonſtrantibus, & multis quidem acerrimis convocata eſſet Dordracum, non defuerunt tamen, qui Delegatos ſuos eò miſerunt, cum hoc expreſſo in literis fiducialibus mandato, ut non modò ſecundum Dei verbum, ſed etiam ſecundum analogiam fidei, confeſſione, & Catechiſmo Eccleſiarum Belgicarum comprehenſam, judicarent. Cùm tamen ipſi ſentirent in eâ Synodo de formulis ipſis Eccleſiaſticis judicandum eſſe, vel veriùs pronunciandum. p. 24. Exam. Rancida, & antiqua calumnia, quam niſi probaverit Therſites, dignum judicabimus, ut armiger ſit authoris de Nullitatibus Synodi Dordracenæ.

Succeſſit Geldrica Synodus, in quâ non dicam, quàm malis artibus uſi ſitis, ut ſuffragiorum numero potiores evaderitis. p. 31. Exam. Æternùm non probabit apud æquos cenſores malas has artes.

In Synodo Geldrica, Henricus Arnoldi, nomine ac mandato Synodi Suyd-Hollandicæ, id eſt, puto tuo quoque ipſius nomine, inter cæteros, cum execratione deteſtatus eſt ea ipſiſſima axiomata, quæ in Hollandia medullam eſſe clamabatis Euangelij, per apertum mendacium officioſum pro tempore. pag. 32. Exam. Mendacium Remonſtranticum, cujus notæ alia ſexcenta inter ſuos jactare ſolent.

Hic fructus eſt Synodi veſtræ Dordracenæ, præter multorum Epicureiſmum ſatis manifeſtum. p. 33. Exam. Quia Remonſtrantiſmus compendioſiſsima via eſt ad Atheiſmum, nimiò vellet ferrei oris Therſites, ex Dordracenæ Synodi canonibus Epicureiſmum hauriri. Politicè ſanè. Inter Atheiſmum ac Epicureiſmum facilè ſyncretiſmus iniri poſſet.

Diſtinctionem virtualiter *non milleſimus veſtrorum auditorum intelligit, ac fortaſſe ne tu ipſe quidem.* Pag. 37. Exam. Niſi probet ſe omnes auditores concionum noſtratum examinaſſe non tantum hyperbolicè, ſed

ſincerè

fincerè, ac ex animo, more antecessorum puta, eum mentiri statuam. Vide quid de voce virtualiter sacræ ignorantiæ alumno inculcârit Voetius in Thersit. à pag. 109. usque ad p. 112.

Quod ad Philosophiam attinet, credo ipsos Voetij socios Contra-Remonstrantissimos meum affirmaturos axioma de futuris contingentibus, à Philosophiâ tam alienum esse, quàm quod maxime. p. 53. Exam. Nominet vel unum, Voetii socium Contra-Remonstrantem, vel Contra-Remonstrantissimum, & totum dabimus. Fratres ignorantiæ, socios & gregales Thersitis semper excludimus.

Monstra axiomatum, & heterodoxiarum in Examine à Thersite prolatarum, quas neque in Examine diluit, neque in L X I. capitibus diluturum se promittit.

Omnis consolatio peti debet à bono, quod futurum est; vel cum futuro conjunctum, non ab eo, quod præteriit. p. 14. Exam. Absurdissimè, contra moralem philosophiam, & totam praxin pietatis.

Sciendum distinctionem inter habitum, & rationes quoad consequentiam, quas inde nectunt, in Ethica ipsa, nedum in Theologia admodum futilem, & absurdam esse. p. 14. Exam. Vapulate omnes Ethici ab hoc asino! Videte Thersitem p. 199.

Si peccatum facit, in præsenti quatenus facit, ac dum facit, ex diabolo dicitur esse. p. 43. Ergo Paulus, dum cum Barnaba contendit, ex diabolo fuit. Quid absurdum, quid ἀθεόλογον magis dici, vel fingi potest.

Vehementer aberrat, si putat omnia illa Christianæ simplicitati repugnare, quæ quis demonstrare non potest Spir. S. ulli homini dictasse. p. 57. Exam. Ergo simplex & sincerus quis esse potest, sine afflatu Sp. Sancti. Quæ hæresis est, si hæc non est.

Dico malitiam ipsam rebus esse essentialem. p. 54. Exam. Blasphemia plus quàm Manichaica.

Spiritus sancti non est curare sapientiam humanam. p. 58. Exam. Peccavit ergò secundum impurum hunc hominem (absit precor Deus blasphemia dicto) graviter Spiritus sanctus, cum Beetsaëlem & Aholiabum doceret artificiosè in opere serico, & ligneo operari.

At Iesus Christus hoc loco (scil. Luc. 12. v. 22.) *verè & eleganter ostendit, omnes homines, qui vocantur à Deo, multò plus posse ad obtinenda bona spiritualia, & æterna, quàm ad conquirenda mundana.* p. 16, Exam. Blasphemia plus quàm Pelagiana, quam neminem in tota Societate approbaturum existimo.

P.45. & 61. Exam. *Vt vanitatem quam rejicit disquisitionem de opliatria.* Probet vanum esse. Scio, vos magnos Theologos, ita cum Thersite in Confutat. p.33. judicare; & Voetii Theses, quibus directæ, & indirectæ magiæ sacra aperuit nugis accensere. Sed quid mirum eos qui undiquaque inter Iudæos, Naturales, Mundanos, Anabaptistas, Coornhertistas, & Socinianos, fautores, ac tributarios synagogæ cives quærunt, magis etiam asylum aperire. Si ego etenim unus ex inquisitoribus mallei essem, in vos tamdiu quæstionem exercerem donec apertè sententiam de magia aperiretis. Persuadere aliter mihi non possum, quin hic quid monstri alatis: & postremò, ubi frustra omnia media tentaveritis, magicis etiam præstigiis nos aggressuri sitis.

Hæc non esse absurda, & incohærentia credam, si ullum simile exemplum dari poterit: sed si non dari poterit, dicemus dari non posse quia sunt absurda, & incohærentia. pag. 14. Exam. Quid absurdum vel blasphemum magis cogitari etiam posset, si stat hoc effatum, ruit totus Christianismus, & orthodoxa veritas de Christi persona, & mediatorio officio. Videte quæso Voetii Thersitem p. 90. & seqq.

Et hæc sunt horrenda illa mendacia, & calumniæ quas collega vester in Examine effudit primùm, & callidè in confutatione, ac syllabo LXI. capitum prætexit. Utinam ex animo aliquando sic eorum eum pœniteat, quemadmodum jam pudet. Quia verò gloriatur in ignorantia, & existimat se bellè velificatum esse existimationi suæ, facere non potui, quin turpitudinem ejus toti mundo ostenderem. Si qua verò, conscientiæ, existimationis, & laudis scintillula in ejus obfirmato & lapideo pectore adhuc micat: patrocinium & lixivium paret. Ex antro in arenam prodeat. Quia verò ad Voetii etiam nomen exhorrescit: cum me tirone, & juvene congrediatur. Confisus Deo, veritati, bonæ causæ & conscientiæ eum ad tribunal vestrum cito, ut respondeat ad objecta mendacia

mendacia, calumnias, & blasphemias. Quascumque leges modo æquitati & veritati non prejudicent, dixeritis, recipiam. Concedatur hoc unum mihi tantum, ut sex, septemve testes adducere possim: & in quacunque Hollandiæ urbe vadimonium obibo Amstelodamum evocate, & mox accurram, Sistite modo tenebrionem; si præsidem quærat, facile ibi in occulto, sive collegio sive Gymnasio Sociniano-Remonstrantico inveniet. Iudæorum concionator Manasses Ben Israël eximius vester fautor, & boni Barlæi calculo pius magis quàm eximius Theologus Vedelius, libenter quoq; cum promisso pallio aderit. Ostendit enim jam zelũ suum, tum paradoxis aliis, tum speciatim *de libero arbitrio* contra Christianam & Catholicam fidem defendendis. Quę conditio æqua magis ferri potest. Si quid conscientiæ, & laudis vobis superest, recipite, & amplectimini. Non typhus, aut fastus (Deus novit) huc me adigit, sed zelus, amor veritatis, & vestri. Sed quid surdis cano, & ventis incassum verba fundo. Desidebit in gurgustio suo nycticorax, nec vos barbati magistri hominem juvenem, & mediocritatis suæ tam conscium, quàm veritatis in conscientiâ certum, ad colloquium admittere dignabimini. Difficilibus his temporibus, charta quæ aliàs aut magno vendi, aut digniori usui destinari poterat, uno & sexaginta ineptiarum, ac ignorantię capitibus, commaculanda erit. Nõ integrum enim est Examinatori, ex tempore disputare, & magnum laborem compẽdi facere. Lentulus est. Consulere debet authores, quos in Thersite laudavit Voetius; de quibus plerisq; vel fando antehac nihil audiisse eum puto. Rogo verò & obsecro illum ut se respiciat, nec labore nimio maneret. Nihil proderũt annuæ unius & sexaginta capitũ elucubrationes, fortè ad Kal. Græcas protractæ. Ante illę enim adveniẽt, quàm bonus vir multiplicem eruditionem assequi possit, & infinitam pene lectionem adversarii sui Si lucem LXI. capita aspiciant, per trimestre tantum exhilarabunt risiones, & sanniones. E vestigio replicam, cum bono Deo, adornabo. O si societas tantum Elephantinum partum susciperet, & horridum librum suffragio approbaret! Mysteria inaudita, & ineffabilia panderemus, de mendaciis Societatis, quæ non obscurè videtur defendere velle fuliginosus scriptor c. 58. Manducum non moramur, aut metuimus Si quando Thersites probaverit Voetium dementem esse, ut operosè videtur studere cap. 58 sine æmulo vincet. Utinam saltem Voetius phreneticus esset, commodissimum credo locum

cum hic Remonstrantici curatores vel in gratiam Societatis ei assignarent in Phreneticorum carcere. At salvus adhuc & sanus est per Dei gratiam. Furit ut Paulus Apost. coram Agrippa rege Act. 26. Festo autem præsidi vos Remonstrantici socii similes estis: furere eos creditis, qui sacro zelo, & impetu feruntur ad oppugnandos errores, & hæreses vestras. Videte verò (& utinam Opt. Max. Deus faxit, ut videatis aliquando) ne inter eos sitis, quos hac invectivâ incessit Apost. Gal. 3. v. 1. *O amentes quis vos fascinavit, ut non crederetis veritati.* Vos verò, qui moderatores & supremi inspectores Societatis estis, etiã atq; etiam rogo, ut quantum fieri potest, consulatis existimationi religionis, & professionis vestræ. Examinator præcipitantiâ & impudentiâ suâ plaustrum pene perculit, ne prorsus deinceps evertat, cavete. Jubete quæso eum in disputatorium campum descendere, & experiri, quid contra tironem posit. Legitima, modesta, & tranquilla erit disputatio. Si probaverit mihi solidè calumnias & mendacia quæ in Illustr. Ordd. Ampl. Magistratus & Ecclesiam effudit, ultro herbam porrigam, & acquiescam. Quia verò ita usu receptum est ut nunquam obsonia sine mantissa, aut theses sine corollariis proponantur. Ut omnia legitimè, ritè, ac ordine fiant & procedant, sequentia corollaria statuo, ad quæ oppugnanda per otium se accingere potest Thersites, dum de Voetii libro refutando, & existimatione illius imminuendâ, ac per latus ejus Academiâ hac, atq; adeo causâ Orthodoxâ vulnerãdâ, nimis miserè desperat.

I. Remonstrantismus prout in Apologia, & Vedelio Rhapsodo proponitur purus putus, quamvis incrustatus, Socinianismus est.

II. Solidissime id ostendit & probavit quatuor voluminibus Cl. D. Vedelius, ipsique socii silentio suo trienniali, & calumniatorio Cantico, quo eum prosecuti sunt, agnoscunt, & fatentur.

III. Sociniano-Remonstrantes secundum principia & fundamenta negativa suæ Theologiæ, illæsâ conscientiâ syncretismum inire possunt cum omnibus sectis, & hæreticis antiquis & recentioribus, Judæis etiam, & Turcis, modo caritatem & moderationem erga Societatem exerceant.

IV. Doctrina Remonstrantiũ circa quinque articulos, est noxia praxi pietatis, nec ullam solidam consolationem in vita aut morte alicui præstare potest.

V. Grandis fit injuria doctiss. Arminii manibus si Sociniano-Remonstrantes ab ejus nomine Arminiani vocentur: quamvis enim in quinque articulis erraverit, & doctrinam Scripturæ adversariam defenderit, non tam crasse

tamen

men minùs in secundo articulo, quàm Nicolaus Grevinckhovius erravit: nec malè sensit de Naturâ attributisque divinis, æternâ & verâ Deitate Christi & Spiritus Sancti, de satisfactione Christi pro peccatis, aut de peccato originali ut hodie Remonstrantes.

VI. Remonstrantismus hodiernus est propylæum libertinismi.

VII. Orthodoxi nullam cum Sociniano-Remonstrantibus, quamdiu tales manent aut societatem, aut pacem inire possunt.

VIII. Non existimo, aut credo secundum judicium charitatis, ita purioris theologiæ, quam in Academiis quondam didicere, omnes & singulos veteranos Remonstrantium ministros esse oblitos, ut subscribere velint Apologiæ, & Vedelio Rhapsodo, pestiferam Socini doctrinam per omnes paginas, & lineas redolentibus. Imo ne quidem credo D. Johannem Wtenbogaert ut vir est prudens & circumspectus, manu suâ testaturum consensum cum illis scriptis.

IX. Quid sentiendum de vulgo Remonstrantium? R. Secundum charitatem. In eo sunt multi simplices ignorantes, qui ex cœco tantum zelo schismaticis adhærent, retinent tamen in corde, contra omnes clamores & insidias ministrorum, immotum fundamentum salutis. Alij qui paulo eruditiores haberi cupiunt, quia ex præcepto Apostoli 1. Thes. 5. v. 21. *Omnia non explorant, in tenebris desident, nec animadvertunt dolos, qui nectuntur animabus eorum. Si qui sunt verò qui rerum terrenarum & carnalium, aut vindictæ aut politicæ factionis æstro agitentur, & societati quàm aliis adhærere malint, illos alio loco collocamus. Omnes vero per Deũ rogamus, & obsecramus, ut quàm chara illis est salus æterna, & veritas, præterquã ad sacras Scripturas, etiam ad Arminii Theses, Apologiam & Vedelium Rhapsodum exigant: & facillimè per Dei gratiam videbunt, quot parasangis intra paucos annos Societas à veritate, ad abyssum errorum, ac hæresium declinaverit.*

X. Remonstrantismi geminus finis est principalis, & subordinatus. Principalis initio erat manere in possessione publicorum munerũ, & templorum. Quia verò desperat de eo assequendo ad alterum, velut δεύτερον πλοῦν confugit: sedulam nempe collectionem nummi Petrini, & pertinaciam in defendendis erroribus. Ne videatur frustra, & de lana caprina per tot annos turbas dedisse.

De hoc Thesium Episagmate in congressu, per Dei gratiam, videbimus. Quæ dico, probabo, & cum Deo defendam. Vos, quorum interest Societatem bene audire, & à tam sinistra fama quàm illibatam esse, officii ne obliviscamini; Compellite erronem ad disputandum, aut

D ipsi

ipsi partes illius suscipite. Si ad præcedentia corollaria intra annum non respondeatis, adjuvante Deo, probationem eorum breviter ac solidè, quatuor linguis Latinà, Belgicà, & amicorum operà, Anglicà quoq; & Gallicà evulgabo, ut totus mundus videat, & detestetur turpitudinem vestram. Vadimonium non deseram, quod dico, per Dei gratiam etiam præstabo. Auguror verò vos dicturos, me odio in Societatem plus quàm Hannibalem, & ex mendaciis, & calumniis consutum esse. Sed fabellis talibus nihil commoveor. Testis mihi Deus, testis conscientia, cui omni ratione satisfacere studeo, me perculsum vestrâ pertinaciâ esse ad scribendum. Ex vobis nemo me læsit, nec ego etiam quem me læsisse scio. Si ullius personam odio prosequar, Deum iratum habeam. Errores, quos in sinu arctè complectimini insector, imò defleo. Quomodo Christianus, cui tantillum zeli & pietatis superest, non indignetur vobis, qui indignamini ejus Redemptori, & Sanctificatori, utrumque per cuniculos de sede & throno æternæ Deitatis deturbare satagentes. Non Voetius, non hoc, aut illud, sed amor illius qui me à morte redemit (testem eum in animam meam invoco) adegit ad stylum in vos stringendum. Lenis esse per Dei gratiam, & vobiscum pacificè & tranquillè, non minùs ac cum aliis vivere possum. Voetius Heusdæ cum acerrimis ex vestro ordine conversatus est modestè, imo lenitate, modestià & bono exemplo ad orthodoxam religionem, omnes qui vobis antè adhærebant, vix uno forte atque altero excepto pertraxit, ut tota civitas, & vicinia, si opus sit, testabitur. Quòd & ego quoque cum nullo ex vobis odium aut inimicitas exercuero unquam, nemo est, qui dicere poterit. Non odimus vos, sed illud, quod deberet vobis ipsis odiosissimum esse. Ut ipsi agnosceretis, si errorem veritati non præferretis. Quamvis verò certò sciam vos latratibus, morsibus, canticis, dicteriis, satyris, similibusque spiculis, innocuum meum caput undiquaque petituros esse. Non horreo, non metuo tamen. Asinorum illi sunt crepitus, & bruta fulmina: fatigant eum qui vibrat, non quem petunt. Ob Christum & veritatem dulce est apud mundanos malè audire. Si alii pro honore Peripati, alii pro honore Parnassi, alii pro honore equestris Restionum Ordinis usque ad Diogenis baculum (quo parentes ipsorum olim laticlavio insignes, suum formosum Jacobulum, reliquosque ejusdem ordinis pueros σὺν ἔργοις, mulcare solent:) si denique sexcenti ex vobis pro carne, mundo, libertinismo, & Lucianismo magno zelo certent. Quis dedecori

dedecori mihi vertat, si pro Christo, pietate, Ecclesia, patrià, Academià, & præceptoribus stylum stringam. Puerum, ineptum, indoctum, hypocritam, lupum, asinum, bubonem, Voetii emissarium, & quid non me vocate. Invocate omnes scurras, urbicos, comicos: totum Plauti Pseudolum, omniaque ex theatris & plaustris convitia, pleno horreo in me effundite: Academiam, januam, plateam more vestro pasquillis ornate, non tamen, per Dei clementiam, commovebitis ut aut officii Christiani hominis, aut gratitudinis erga præceptorem obliviscar. Si honorificum fuit juvenibus, olim in Academià Genevensi studiosis, Gregorij de Valentià, aliàs doctissimi Scholastici, fictam & malam fidem pro præceptore suo Sadeele detegere: imo si vestro D. Vorstio licuit Nic. Hasium juvenem meæ ætatis, in doctissimum Egelisemmium subornare, etenim mihi vitio verti non debet, si eruditionis, veritatis, pietatis solidissimè in Thersite assertæ, contra indoctum erronem patrocinium suscipiam? Doleo vero ex animo vicem vestram, quòd omnia tela emiseritis, & instar anguium, post obtritum caput, solà caudà minemini. Quàm ignominiosum, quàm turpe tantis Theologis est, magno nisu aggredi tractationem alicujus controversiæ, & per primam responsionem ita exarmari, ut invocandi sint pueri, idiotæ & satyrici, qui totius Societatis existimationem, psalteriis, canticis, satyris & famosis libellis farciant. Præstaret ad aream restionum confugere, quam ad sacram illam anchoram. Miror verò, vos tam vesanos esse, ut etiam confidere audeatis arundineo huic scipioni. Quem cantica, & lividi vestri libelli oblectant, præter combibones, & Libertinos: qui inter culullos, & in conviviis, uno cachinno pariter religionem, pietatem & Contra-Remonstrantes omnes explodunt. Si verò, quod ex parte suspicor, Jacobus Batelier, Hagæ-Comitanus in Synagoga Remonstrantium minister, Confutationis author est, è vestigio adire poterit equitem illum, de quo multa scribuntur, & circumferuntur: etenim eum pro affectu in Societatem, non pigebit Scazontes quos, aut satyram in me, & miserum Voetium condere. Aut si nobilitatem illius sollicitare veretur, adeat authorem nuperum Luciani Redivivi, eodem modo is eum defendet, ac asseruit celeberrimi Poëtæ D. Casparis Barlæi existimationem, contra justas criminationes Philippi Fabri. Ex semi-medico-Iurisconsulto dicto citius fiet concionator, & cum diabolo & Hispanis sub patibulo Psalmum *Miserere*, & *Quàm jucundum est fratres habitare in unum* cum rancidà antiphonà de Reformatorum Deo, peccati

authore

authore demisso vultu, & sermone canet: quia male consuetam, & satanicam maledicentiam impune habere non potest. Fallitur vero bonus ille alastor, cum putat, eum qui post sacras literas, Thomam de Kempis, in libro de imitatione Christi, exprimere studuit, eundem cum Philippo Fabri esse. Quis qualisve is sit, cur nomen proprium tunc non expresserit, & cur alii appellativum & mysticum libello præposuerint, nec non cur asperiusculè D. Barlæum tractarit, ex sacrâ Scriptura, Patribus, praxi Theologorum, Remonstrãtium etiam, & ipsius D. Barlæi juvenilibus scriptis ostendet, simul ac aut ipse D. Barlæus, aut alius quis ejus nomine Apologiam paraverit. Et fortè aliquid istorum prælibabit D. Vedelii *Deus Synagogæ*, quem propediem prodituram speramus. Accingo interea, & compono me ad audienda vestra convitia, & excipienda cantica. Veniant sexcenta, colligam omnia, & ubi iis scribendis fatigati eritis, simul cum brevi scene animorum vestrorum, edam: ut totus orbis cognoscat rabiem Sociniano-Remonstranticam. Quod reliquum est, ne Cl. Episcopi, diutius Socinianas tuas lectiones interpellem, te & omnes quos initio allocutus sum rogo & obsecro, ut aut ad colloquium compellere velitis (jus enim cogendi habetis) authorem confutationis, aut suffragio vestro comprobetis unum ac sexaginta ejus capita: ne forte ea quæ inde excerpemus mysteria, excipiatis more solito domestica esse sacra & unius hominis deliria, aut à Iesuita, aut Contra-Remonstrante Societatis vestræ hoste, vobis insciis scripta & evulgata.

Valete viri celebres. Monerem, ut respiceretis vos, & officium vestrum, nec non miseram turbam, quam seducitis: sed aurem commodè vellit Cyprianus qui ita ad Demetrianum lib. 1. adversus eum, loquitur: *Certe & labor irritus, & nullus effectus, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto, cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire.* Valete iterum. Et ne arrodatis nostram in respondendo tarditatem: assevero me ante quinque demum dies casu in Thersitis Confutationem incidisse. Dabam Trajecti in novà Academià Anti-Remonstrantico-Libertinicà 3. Maji d. cIↄ Iↄc xxxvII.

Æterni & ὁμοούσιου, filij Dei Jesu Christi, sponsoris unici, ac perfectis servatoris sui servus, & amicus; quia vester esse non potest;

MART. SCHOOCK.

Mc